

tur, non tam de postrema Nebucadnezaris devastatione, quam de priori, cum Manasses Babylonem captivus deduceretur. Obstant vero huic sententiae quae Cap. II. Habakuki leguntur, ubi propheta satis evidenter de Nebucadnezaris invasione loquitur, quae si ad Manassis tempora referantur, in alium sensum detorquentur. Nec primo capite de alio, quam de Nebucadnezare sermonem esse, constabit omnibus attentis lectoribus. Hinc alii longe plures majori ratione fulti unum tantum Habakukum admittunt.

§. 19.

Canonicam prophetae nostri auctoritatem adstruunt rationes praegnantiores, quae in dubium vocari nequeunt. Scriptus est noster vaticiniorum libellus a propheta, qui invasionem Nebucadnezaris praedixit brevi futuram, quae, uti constat, brevi subsecuta est. Praedixit idem regni Babylonici poenam, quam eventus quoque approbavit. Scripta quoque sunt nostra vaticinia lingua Hebraica, quae tempore, quo edita, Judaeis fuit vernacula. Leguntur in iisdem vaticinia de Christo v. g. Cap. II. v. 14. Dixerat propheta v. 13. Dominum exercituum effecturum, ut destruat regnum Babylonium (in quo captivi tenebantur Judaei) populos enim peregrinos combusturos esse urbem Babyloniam sanguine aedificatam, deinde v. 14 addit rationem, quia replenda est terra Judaica incolis *לרעת* *propter cognoscere gloriam Dei* i. e. ut cognoscatur in ea Dei gloria, i. e. ut Christus in ea appareat conf. infra explicationem. Huc spectant crebriores nostrorum oraculorum allegationes in N. T. quibus Paulus Christianorum fidem confirmavit conf. Act. XIII. 41. Rom. I. 17. Gal. III, II. Hebr. X. 38. Ipsi quoque Judaei,